



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Notationes quatuor circa prædicta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

milliarium, quæ non erit respectu ratiocii; & in magno
minore parva deceptio erit illa, quæ magna reputabi-
tur in parvo. Si enim, v.g. cognos. locum distare per
vicesdecim miliaria, cum distet per triginta, magnus
est error, & substantialis: At si putes distare per tre-
centa, cum distet per trecenta & triginta, parvus
est error, & in qualitate. Ex his igitur in casu nostro ille
error, vel dolo erit in substantia, qui te decipit no-
tando, quod rem cogitatum in ordine ad contractum
em celebras: qui leviter decipit, erit error in qua-

*Regula secunda: Quando dolo contrahentis incidit
in contractum.*

18. Si error, vel dolo non det causam contractui,
sed in contractum incidat, quamvis alter contrahentium
illo communicaverit, illumque sciverit, contractus
est validus in utroque foro. Teneatur tamen decipiens re-
ducere contractum ad æqualitatem, atque omnia damna
decepto refarcire. Ita Molin. 352. §. quarta conclusio. Less.
lib. 1. cap. 7. d. 15. num. 28. Fagund. l. c. lege c. delicti, de em-
ptione. Ratio est, quia hic adest consensus ad rem, seu ad
substantiam, & solum deest ad accidentia, hoc enim est
dolo incidere in contractum, ut num. 1. explicuimus:
ergo non est cur non sit validus contractus. Debet ta-
men, ut dictum est, reduci ad æqualitatem, supplendo
de pretio, quod deest: unde fit, ut si sit deceptio ultra
dimidium, adhuc sit validus contractus, sed supple-
mentum afferre etiam per forum externum compellatur
decipiens, nam si deceptio non fuerit ultra dimidium,
solum compellatur per forum internum, ut num. 1. vi-
dimus.

*Regula tertia: Quando dolo tertij dat, vel non dat
causam contractus.*

19. Si error est in qualitate (nam si est error in sub-
stantia, ut si habas vitrum pro gemma, iam ex regu-
la generalis dicta num. 15. semper contractus est nullus,
quia nullus est consensus) si inquam, error est in quali-
tate, æqueque inducitur à tertio, nihil scientibus contra-
hentibus sive error, vel dolo non dederit, sive dederit
causam contractui, Contractus est in utroque foro va-
lidus. Ita Less. Fagund. Molin. citati. Secundò, datur
alio decepto, ut possit agere contra tertium decipien-
tem, tum de damno, tum de dolo. Tertio non datur sa-
tis decepto relinquendi contractum, sed solum pec-
candi supplementum pretij, si quod fuit. Ratio, primi
dicitur est, quia, quando in contractibus oneratis dolo
est inducitur à tertio, immò etiam, quando ipsemet con-
trahens sua falsa opinione se decipit, adest sufficiens
consensus ad contrahendum: omnes enim ex Fagund.
lib. 1. de contrah. cap. 42. num. 16. implicite se intendunt
obligare, quoties ipsi contrahentes non participant
de dolo, nisi enim sic intendatur, nullus unquam
contraheret, essetque continua discordiarum semina-
tio, cum possent semper homines dicere se deceptos
esse, se, si seivissent, non contracturos fuisse, &c. nam
propter eandem rationem, quando bona fide duo con-
traherent, nullo dolum machinante, si deceptio sit in
pretio, erit validus contractus, sed solum agetur de
supplemento, &c. Ratio secundi est indemnitas dece-
pti: Et adverte inter cetera damna esse etiam excessum,
quo patiens dolum emit rem, quam similem minoris
emisset alibi, ut manifestum ex se est. Ratio tertij est,
quia si in hoc contractu est sufficiens, licet implicitus
consensus, ut diximus, constabit contractus, quare non
erit ratio, cur rescindatur.

20. Scio Lessium lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 33. loquen-
do, quando res est integra, quod certe non est impro-
babile, putare esse rationem, cur rescindatur, atque
alio hunc deceptum posse in conscientia, antequam à
iudice cogatur, non stare contractui, quia ipse non con-

sentit absolute, iuxta l. 77. ff. de contrahenda emptione
Non consentit enim, nisi posito dolo illius tertij. Verum,
hæc lex non obstat nostro dicto, neque hæc ratio. Non
ratio, quia hæc solum militat quando in dolo commu-
nicavit alter ex contrahentibus, & militat etiam in do-
nationibus, & promissionibus merè gratuitis, ut in lega-
tis, institutione hæredis, & similibus, quæ irrita sunt, si
error contingat circa causam, & motivum principale do-
nandi, unde cumque proveniret error; non vero militat
in emptionibus, & venditionibus propter rationem
modò à nobis insinuatam num. 19. in ratione primi di-
cti de Fagundez l. c. item Molin. tract. 1. de inst. d. 209.
& Sanchez in Decal. lib. 4. c. 2. & de Lug. tom. 2. de inst. d. 22.
lib. 2. n. 69. & 89.

Notationes quatuor circa prædicta.

21. Notatio prima: Si emens dicat expressè in hunc
modum: Si vinum non est vetus, nolo illud à te emere (idem
puto, quia æquivalens est si dicat: *Vende mihi vinum ve-
tus, vel illius loci*) contractus nullus erit in casu, quo de-
prehendatur vinum non esse vetus, nec illius loci, etiam
nullo præcedente dolo venditoris, vel alterius, quamvis
sit error in sola qualitate. Ita Dicastill. lib. 2. de inst. tr.
3. d. 1. dub. 6. & tract. 8. d. 4. dub. 1. num. 5. sine. Ratio est,
quia in hoc casu consensus fuit conditionatus, quare,
conditione non posita, nullus fuit consensus; nisi
forte addit aliquando consensus implicitus, id quod
evenit, quando dicta res accepta est eiusdem substan-
tiæ, eiusdemque bonitatis, utilitatisque cum illa, quæ
à te expetita fuit: at si vinum novum sit æquè bonum,
ac vetus; Dixi (eiusdem substantiæ) nam si esset di-
versa, ut si esset oleum pro Vino, nullus est contra-
ctus, quamvis tu, si seivisses esse oleum etiam emisisses:
quia tunc tuus consensus nunquam fuit circa substan-
tiam olei.

Si verò eiusmodi venditionis contractus cum errore
circa qualitatem, nequaquam sub prædicta, vel simili
conditione fuit celebratus, nullo dolo præcedente, valia-
dus erit contractus, ut si emens dicat: *Vende mihi vinum,*
intendens emere vetus, cum tamen postea deprehendat
esse novum. Ratio est clara ex dictis, quia hic adest con-
sensus ad substantiam, error enim solum est in qualitate,
quæ, quia hic loquimur nec emptio facta est sub conditio-
ne, quia voluntas ementis mente retenta nihil operatur
nec ex alia parte præcessit ullus dolo; ergo ex nullo
capite infirmabitur emptio, quantumcunque dicat hunc
emptor, si seivisset, non emissem; atque, si iusto
pretio emptum est vinum, nihil est præterea supple-
dum.

22. Notatio secunda: Quando dolo dedit causam
contractus, & univèrsaliter, quando decipiens ementem
decepit: obligaturne semper idem decipiens monere de-
ceptum de dolo, ut si velit rescindere contractum, test-
eindat, vel supplementum pretij accipiat? De dolo posi-
tivo agimus: nam de dolo negativo, id est, quando ven-
dens nihil dicit, non tamen revelat vitium occultum
rei, quam vendit: dicemus mox à num. 32.

Respondeo, si res non est integra, verbi gratia
emptor iam bibit vinum, non est venditor obli-
gatus monere. Ita Molin. 352. circa finem; quia super-
fluum id esset, solum igitur suppleat pretium: quod si
pretium fuit æquale, ad nihil obligatur, sed solum ad
pœnitendum de peccato doli secundum eius gravita-
tem. Si res est integra, erit distinguendum, nam si
res æquè illi emptori utilis est, non obligabitur vendi-
tor monere, quia, licet emptor involuntariè emerit, nunc
verò rem habendo æquè utilem, potest præsumi ipsum
assentiri, vel certe non valde esse invitum ad eam reti-
nendam. Sed in pretio debet semper fieri æqualitas, ut
certum est. Quod si non est æquè utilis, vel saltem
fere æquè, aderit certe obligatio monendi, & rescin-
dendi contractum: quia si est in te gravi, sicuti gravi-
ter decepsisti emptorem, sic graviter contineres in
deceptione

deceptione. Dico (in re gravi) nam Molina loc. cit. excusatur a mortali vendentes, dum clamant vinum suum esse vetus, esse pretiosum, esse talis loci, cum non sit: si enim aequalis est bonitatis, & pretij, non graviter (ait) sic laedunt emptores. Verum, ergo inde etiam hos regulariter excuso, quia iam omnibus est exploratum, eos exaggerare, & ut alliciant ementes, sic proclamare.

23. Notatio tertia: Quod contractus quibus dolus causam dedit, non obligent, nec sint validi, &c. velum habet, etiam si firmati iuramento fuerint: quia iuramentum promissorium adhaerens contractui non potest intelligitur conditionatum, id est si contractus est validus; id quod clare docuimus lib. 3. cum de iuramento, & docet Fagundez, loco citato, cap. 42. num. 11. alii que.

24. Notatio quarta: Haecenus allata non omnia procedunt in contractu Matrimonij, de quo a nobis dictum est sup. lib. 3. §. 5. num. 26. & poterit legi Sanchez, lib. 7. de matrim. d. 18. & deinceps nec in sponsalibus, ex eodem lib. 1. de matrim. d. num. 3. quae, cum tendant ad insolubile vinculum Matrimonij, requirunt omnimodam libertatem, immo nec in professione religiosa, nec item in votis biennij Societatis I E S V, quibus videri poterit de Lugo, l. c. n. 88.

De vendente rem cuius vitium non cognoscitur ab emente.

25. De vitio intrinseco rei agimus, quod est quando res ipsa, quae venditur, non habet solitam bonitatem intentam ab ementibus. Nam vitia, ut sic loquar, extrinseca, non esse necesse aperire, colligitur ex dictis sup. §. 4. extrinsecum autem vitium illud appellamus, quod rei pretium diminuit ratione alicuius extrinseci, ut ob abundantiam brevi superventuram, ob raritatem futuram emptorum, &c. de qua re ibid. dictum est satis.

26. Iam verò certum in nostra hac quaestione est ex Molina d. 353, Salas dub. 34. num. 4. Valentia, tom. 3. d. 5. quæst. 20. part. 3. & 4. ex S. Thom. 2.2. quæst. 77. artic. 3. Primum, Vendentem sive interrogatum, sive non interrogatum, qui tacet vitium intrinsecum notabile rei quam vendit, quo cognito, emptor non emisset; irritum, sive certe irritandum facere venditionis contractum, peccare, & ad restitutionem obligari. Ratio est, quia tunc, cum dolus det causam contractui, decipitur in re gravi emptor: unde debet ipsi restitui etiam in foro conscientiae pretium: immo ad illud rehabendum datur in foro externo actio, quae vocatur Redhibitoria.

27. Certum est secundò ex Dical. lib. 2. de iust. tr. 9. d. 4. dub. 4. n. 35. in eodem casu, si cognito vitio, adhuc emptor emisit, validum esse contractum propter consensum implicitum (nam supponimus rem esse eiusdem substantiae) nec peccari a vendente, quia si diminuitur de pretio, & adhuc emptor emisit, illi damnum non infertur: verum, tum in foro externo (nam in hoc casu datur emptori actio, *Quanti minoris*) tum in foro conscientiae, semper reddi debet excessus, si forte is excessus fuit: & praeterea post emptionem monendus erit emptor de eo vitio, ne scilicet is rem eandem maiori pretio alteri vendat, puta, ut non vitiatam, cum tamen vitiata sit, vel ne damnum faciat alicui res vendita, ut si esset equus calcitrosus, &c.

Ex dictis excusatur vendentem, proportionato iuxta vitium pretio vinum, quod venditor scit brevi corrumperendum, si ipse probabiliter putet ab emptore brevi, & in usum communem esse consumendum: quia tunc nullum damnum infert ementi; sed si probabiliter putet ab emptore esse servandum, quia tunc illud vitium occultatum in ipsius ementis damnum cederet, ut etiam cederet, si vinum illud esset adhibendum ad medicamenta, &c. Lege Medicinam non excusantem, cap. de

ref. quæst. 34 & 35. & Salonium excusantem 22. art. 1. d. 1. art. 3. sed sunt conciliandi modo, qui hic ponitur.

At unde sciam emptorem fuisse, vel non fuisse, putum? Respondet ex circumstantiis, ex eius facie, eius iuramentum, &c. ut modo innui num. 13. in hoc potest. Quandonam obligatur venditor monere emptorem, recindat contractum resque reddat, pretiumque sumat, satis item innui modò in notione sum. num. 22.

28. Certum est secundò: Quasi vitium, quod dicitur, non est abile respectu finis, vel voluntatis ementis, val. item esse contractum, & inde propter illud vitium aliquid diminutum est de pretio nihil esse restituendum. Ita Less. 2. cap. 21. num. 1. Molina. l. c. Quod si non sit diminutum, restitutionis, immò & admonendus erit emptor, ne eadem vitio plurius alteri cum iniustitia vendat, vel num alteri faciat modo iamiam dicto num. 27. Cuius tamen hic supponamus emptori voluntariam esse emptionem quoad substantiam, vitium verò esse leve, erit saltem id peccatum mortale, quando pretium restitutum.

Dixi (respectu finis) si enim est æquè utilis habet superius, n. 22.

Dixi (respectu voluntatis) nam si voluntas ementis explicita, vel tacita, fuit conditionata, sic: Si res talis si vitio caret, &c. emo, secus non emo invalidus erit contractus ex defectu conditioni non purificata, ut item sup. num. 21.

Ex dictis num. 16. colligitur: Is, qui semina contra vendit pro recentibus: Qui Medicinam effusa pro efficaci: Qui ovem morbidam pro sana: Qui servum furacem pro probro: Qui pannum, vel galatrem notabiliter adustum, vel cariosum pro firmo: Qui frumentum, quod diu servari nequeat, vel rem litigiosam pro secura: Qui rem amissionis periculo subiectam (ut sunt, verbi gratia, bona haereditaria quae a die commissae haereditis confiscationi subiacent pro non subiecta, &c. colligitur, inquam, hinc peccare contra iustitiam, obligarique ad restitutionem tum excessus pretij, tum damnorum, quae forte latius sequentur, qualia essent, si ceterae oves morbidae essent, mors contingeret fumentis medicamentum, &c. Ratio autem est quia venditor rem venalem exponit, onerosum contractum per venditionem celebrare intendens, debet sicut bonam monetam accipere, & tradere rem utilem. Nam propter eandem rationem tenetur de evizione, id est tenetur iactantem rei refutare, si ab alio contra ementem res evicta tur, &c.

29. Adverte, si sine fraude, vel culpa ignoratus vitium ab utroque contrahente, solum erit supplementum pretium, si iustum non fuit: quod si fuit error in substantia, poterit emptor, si velit, ratificare emptionem, sed & poterit renuntiare: at si fuit sincere celebratus contractus sub protestatione cuiuscumque vitij fieri apparendi, cum tunc adsit haec conventio, ne pretij quidem supplementum erit conferendum, quia iuxta periculum apparendi vitij taxatum est pretium: id enim operatur non iniusta illa conventio. Atque alicubi esse legem, seu consuetudinem, ut res, praesertim animalia semper vendantur sub eiusmodi conventionem, quam certe approbo, ad tollendas lites. Immo non improbabiler putarem, id etiam tacite habere in occultissimis quibusdam vitis, quae non solent vendere in communem cognitionem: Quidquid dicat contrarium Barthol. a S. Fausto, in specul. confess. d. 1. quæst. 14. secus vendenti servum, vel equum, qui per unum, vel alium diem moritur apud emptorem, praesertim si ipse emptor litem movere, dicens, morbum per se fuisse ante emptionem in servo, & equo non postea, atque adeo velle sibi reddi pretium, et